



**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De probatione ab authoritate Conciliorum. Cap. XXXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](#)

aliquādō conuersus confirma fratres tuos, ad eum etiam pertineant: ita ut in eis, quae ad sanctissimam Christi, cuius vicem in terris gerit, religionem spectant, errare nullo modo possit: præsertim cùm Romani Pōtifices, vt B. Gregorius scribit, nihil sine cōsilio grauiſſimorum hominum decernere consueuerint. Quandō se offeret occasio, de potestate summi Pōtificis Christi Vicarij ager; et ita ad populum dicet: quemadmodū nullum exercitum sine imperatore, nullum regnum sine rege, nullam domum sine patrefamilias; ita sine supremo pastore Christi Vicario, Ecclesiā regi non posse: indē ortos errores, quod membra à capite dissecta sunt.

De probatione ab authoritate Conciliorum.

Cap. XXXXVI.

MAGNA est etiam authoritas sanctorū patrum, qui à Spiritu sancto in sanctis concilijs sunt congregati; ita ut in iis, quae ad confirmandam fidem Christianam, & ad salutem animarum consequendam pertinent, nulla ratione errare possint. Nam cùm Episcopi sint tanquam columnæ Ecclesiae & capita, à quibus ceteri omnes fideles pendet: si ipsi in errorem ducerentur, necessè esset, quod accidere nō potest, vt omne Christianum & fidicium corrueret; hæreses, multis iam seculis damnatae, conciliorū authoritate reuiuiscerent; symbolū Nicenum esset ambiguum: deniq; nulla certa via esset, qua infideli controuersis catholicū dogma exploraretur. Ad hæc cum beatus Augustinus affirmet, vniuersalis conciliij sententiam, totius Ecclesie consensum esse: & cum apostolo nulla alia commodior ac facilior via visa sit ad veritatem in quæstione exorta inuestigandam, quam si ad concilium

Hierosolymitanum controuersia referretur, nullus dubitandi locus relinquitur, quin necessarium sit concilij fidem adhibere, si Ecclesiae authoritatem volumus tueri. Quarè præclarè à S. Gregorio Pontifice dictum est: quatuor Concilij generalibus tantam fidem adhibendam, quantam Euangelius; nimirum, quia idem magister est spiritus sanctus, & idem est auctor Christus. Quamobrem vbi de iustificatione sermo habebitur, explicada est sententia concilij Tridentini, decretum illius in medium afferendum est, quod declarat iustum fieri hominem iustitia inhærente per fidem in Christum, non historica, non mortua, sed formata, quæ per dilectionē operatur: & vbi in synodis habendus est sermo, ostendendum est absque peccato mortali non licere abesse à cura ouium, quæ nostræ fidei commissæ sunt.

Deprobatione ab authoritate sanctorum patrum. Cap. XXXVII.

IN explicatione sacrarum literarum, ad corroborandum aliquid, magnum etiam præstat argumentum Ecclesiastico oratori, sanctorum patrum cōsensus & authoritas, quandoquidem à Spiritu sancto docebatur, cuius ope ita ad veram diuinæ scripturæ intelligentiæ penetrarunt, ut in ipsis, quæ ad fidem pertinent, non modò non errauerint; sed admirabilis etiam omnium consensus extiterit. Cum enim omnes, qui illis successerunt scriptores & concionatores, sacrarum literarum sensum ex doctrina ab illis percepta populo tradiderint: populus autem eundem sensum fideliter acceperit, profectò, si ipsi errauissent, necessariò aut eos Ecclesia, omnium errorum expultrix,